DE

EPIDEMIARUM HISTORIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Julius Tzscheutschler

LUSATUS.

OPPONENTIBUS:

RUD. HARTUNG, med. et chir. Dr.

CAROL. SELL, med. et chir. Dr.

Ad. NEUMANN, med. et chir. Stud.

BEROLINI,

TYPIS B. SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

SUMMA PIETATE COLENDIS

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

OFFERT

FILIUS.

Gentium historia multa refert bella cruenta, populorum migrationes, ingentes perturbationes cosmicas et telluricas, annonae caritatem, famem, epidemias late diffusas. Quanquam initio haec eventa inter singulas nationes solitaria apparuerunt, tamen, si rem accuratius intuemur, nexus eorum facile intelligitur, qui, quod ad certam directionem atque tempus attinet, nusquam evidentius quam saevientibus epidemiis atrocissimis manifestatur, quae, variis temporibus orbem terrarum permigrantes vitam populorum socialem, politicam et psychicam graviter immutaverunt. Historici, politicas res fuse prolixeque exponentes, epidemiarum haud minus gravium ad recentiorem usque aetatem obiter tantum mentionem faciunt, quo factum est, ut nuperioribus demum saeculis, quibus medici periti morbos sui aevi adumbrarunt, aliquanto perfectiorem illarum notitiam obtinuerimus. Multum tamen abest, ut indolem mysteriosorum phaenomenorum, de quibus hic locuturus sum, graves priscorum saeculorum epidemias earumque historicam dignitatem, pro viribus expositurus, perspexerimus.

Postquam mythica aetate tam poëtae quam historici

plures memoraverant epidemias, quae fabulis amictae parum lucri historiae afferunt, primum Periclis et Hippocratis aevo epidemia maxime perniciosa innotuit, quae, a Thucydide egregie descripta, summum Atheniensium virum abstulit.

PESTIS ATHENIENSIS.

A. secundo belli Peloponnes. a. 430 a. Chr. n.

Causae et dilatatio.

Quemadmodum plagae deltoideae Gangis fluvii cholerae et India orientalis febris flavae patriam constituunt, ita pestis orientalis circa Nili littora germinavit, unde revera omnes paene pestis epidemiae exordia duxerunt.

Nilus amnis regionibus, quas profluit, beneficio est, at si impedimenta placidae ejus incrementi et decrementi vicissitudini offeruntur, famem pestemque efficit. Belli Peloponnesiaci tempore, quum hiemes udae aestatesque calidissimae celeriter se excepissent, ingens Nili inundatio exorta est, quam fames et pestis sequebantur. Jam ab antiquissimo inde aevo Athenae cum Aegypto, veteris mundi promptuario, commercium aluerunt, multo magis autem dicto tempore, quo Athenienses cum Spartanis bella gerebant. Dum Piraeus Aegyptiorum navibus abundabat, quae frumentis onustae Athenis hostibus pressis victum subvehebant, in una earum pestis emersit, mox in urbem incolis refertam irrumpens brevique per totam viciniam dimanans. Quae quum simul inde ab Aegypto Lybiam, ingens Persarum regnum

et Lemnum insulam devastasset, terras adiit occidentales et prae omnibus Romam depopulata est, ubi Livio teste (Livius, IV, 21 ét alibi) varia portenta terrifica, terrae motus, magna ariditas etc. ejus adventum praenuntiabant.

Morbus ipse.

Thucydides, qui ipse pestem superavit, hanc ejus descriptionem exhibuit: incepit morbus vehemente aestu febrili, capitis dolore, oculorum, linguae et faucium inflammatione; halitus oris foetidus evasit. Raucedini pertinaci affectio supervenit pulmonum, tussim ingentem et pectoris oppressionem inferens; postea ventriculi dolores, singultus, vomiturationes, vomitus biliosus, diarrhoeae, convulsiones accesserunt. Paulatim exanthema pustulosum totum obduxit corpus; bubonum nulla fit mentio. Multos aestus febrilis tantus adgreditur, ut omnia abjicerent tegumenta, imo in aquas desilirent.

Morbi sequelae ac diuturnitas.

Quum aegrotantium plerique, sine ullo aetatis, conditionis et sexus respectu, mortem occumberent, omnes morbo obnoxii de salute sua desperabant. Plurimi ante septimum aut nonum diem, aut serius diarrhoeïs perierunt. Qui summum periculum feliciter superaverant, serius haud raro ingruente sphacelo artubus aut partibus sexualibus privabantur; alii obcoecabantur, alii memoriae jacturam faciebant. Raro morbus altera vice erupit, neque tunc interfecit.

Non solum autem hominum frequentiae lues illa cladem intulit, sed etiam societatis vincula diremit: legum sanctitas communi omnium rerum perturbatione interiit, suo quisque arbitrio indulsit et cupiditatibus frena remisit.

Quibus calamitatibus Athenienses adeo frangebantur, ut Spartanis agros devastantibus obsistere non possent, sed Plataeas iis tradere cogerentur. Haud laetiora experti sunt Romani. Quamdiu pestis saevierit, incertum est, suspicari tamen licet, diuturnitatem respondisse dilatationi, etenim post quindecim inde annos Atheniensium exercitus in Sicilia tentabatur lue, quae funestum illius expeditionis eventum induxit.

Saepius haec pestis insequentibus saeculis occurrit, sed bis tantum majorem obtinuit saevitiam, regnante nimirum Antonio, tum Valeriano imperatore.

PESTIS ANTONINIANA.

A. 164 p. Chr. n.

Haec epidemia primis, quibus Antoninus imperium tenebat, annis exorta partim propagatione a remotissima inde Oriente ad Galliam usque, partim devastationibus, quas inferebat, excelluit. Aetnae montis eruptiones, terrae motus, inundationes, locustarum greges, aestus ingens, fames eam antecesserunt. Prima incunabula haud dubie in Aethiopia aut Aegypto habuit, unde per Syriam, uti fieri solebat, dimanavit multisque persuasit, expugnata Seleucia urbe, vapore venenoso, ex Apollinis

templo prodeunte, ortam et Romanorum exercitum adgressam esse. Quocum exercitu inde a Persia ad Rhenum demigravit posteaque trans Alpes emersit, unde Germaniam finitimasque terras petiit, Romae statim post imperatorum triumphum caput extulit, multa incolarum millia et omnes paene milites occidens. Bello adhuc Marcomannico pestis imperium Romanum devastavit, quod quotannis ab uno ad alterum finem permigravit tandemque ita exhausit, ut imperator servos, gladiatores, germanicas et dalmaticas gentes contra hostem ducere cogeretur.

Eodem tempore terrae motus et fames ad persequendos christianos ansam dederunt quippe quorum scelera deorum immortalium vindictam provocasse crederentur. Hinc Tertulliani effatum: „si Tiberis adscendit in moenia, si Nilus non descendit in arva, si coelum stabit, si terra movit, si lues, statim christianos ad leonem.“ Triginta demum annis paene elapsis, Roma quotannis propemodum devastata, miseras terras lues dereliquit.

PESTIS CYPRIANA.

Regnante Valeriano imperatore similis desaeviit lues, quae a Cypriano, patre ecclesiastico Alexandriae, descripta ab eo nomen tulit.

Hunc etiam morbum cometae, hiemes praeter modum frigidae, terrae motus etc. antecesserunt. Per tria fere quinquennia perstitit, intra quae pestis, in Aethiopia exorta, longe lateque dimanavit et persequendis chri-

stianis ansam praebens ad Scotiam usque processit. Cyprianus, pater ecclesiasticus, de pesti illa haec tradidit: „hoc denique inter nos et ceteros interest, qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur et murmurant, nos adversa non avocant a virtute et fidei veritate, sed corroborant in dolore. Hoc quod nunc corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exaestuat, quod assiduo vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorundam vel pedes vel aliquae membrorum partes contagio morbidae putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel coecatur adspectus, ad documentum profuit fidei". (Cyprianus de immortalitate).

PESTIS JUSTINIANA.

A. 540 p. Chr. n.

Inter pestem a Thucydide descriptam et Justinianam decem saeculorum spatium interpositum est, intra quod historici innumeras epidemias commemorarunt, nullus vero omnium mentionem fecit bubonum, quibus seriore tempore symptomatis gravissimi dignitas adscribebatur. In pesti demum Justiniana bubonum mentio fit, quamobrem existimare licet, hanc primam fuisse, cui nomen „Pestis bubonaria" imponendum sit.

Ad definiendum tempus, quo exstitit, unum sufficit nomen, nimirum Justiniani imperatoris, abs quo pestis Justiniana vocata est. Quemadmodum Periclis tempore,

quo Graecia maxime floruit, omnes animi et ingenii facultates fovebantur, ita Justiniani aetate despotismo timidiusculo pietatem affectante reprimebantur; antiquitatem illustrem summae tenebrae et barbaries exceperant, quibus litterarum thesauri pulvere et squalore obruti in monachorum bibliothecis abdebantur, ita ut Arabes modo passim iis uterentur, reliquae autem gentes ab iis prohiberentur. In paganismi locum christianismus adulteratus successerat, qui populo tantum superstitionis effigie innotuit. Bella continua et gentium barbararum invasiones universam calamitatem adauxerunt. Hoc quidem tempus sibi elegit pestis, quae et atrocitate et diuturnitate toti terrarum orbi notas suas impressit.

Phaenomena antecedentia et concomitantia. Dilatatio.

Ut scriptores coaevi referunt, mira portenta longum per tempus singulorem calamitatem praesagiebant. Viginti noctes in coelo occidentali ingens fulgebat cometa primumque hominibus metum incussit, idem cometa, qui ante sexcentos fere annos Caesaris funeralibus illuxerat. Terrae motus per intervalla imperium Romanum orientale ab uno fine ad alterum concutiebant eorumque vi Antiochia evertebatur, deinde Seleucia et Constantinopolis tentabantur, quibus incendia et seditiones supervenerunt. Locustarum turbae, frigus insolitum aestu exceptum, vastae inundationes etc. permagnas intulerunt strages, quas fames sequebatur. Augures mundi finem praenuntiabant.

Aegyptus, cujus humiliores regiones Nilus multos per annos fluctibus obruerat, hanc etiam pestem peperit, quae inde a patria sua, Pelusio, Aegyptum, Syriam et reliquam Asiam minorem adiit, brevi post Constantinopolin frequentissimam adgressa est et partim Italiam Galliamque permigravit, partim trans Danubium gentes Hunnicas et Slavicas subegit sensimque majorem orbis terrarum partem devastavit.

Morbus ipse.

Paulo ante morbi introitum imaginatio terroribus exaltata vidit spectra per plateas properantia mortemque nuntiantia, signacula cruenta in aedibus, foribus, vestibus, quae abluta redibant et mortis victimas notare putabantur. Quae signacula non mera imaginationis producta fuisse videntur, quoniam in serioribus quoque epidemiis observata sunt. Metum animi, prostrationem, spectrorum formidinem, desperationem morbus ipse est secutus, incipiens, velut pestis Astheniensis ante decem saecula, febri ingente, capitis dolore, oculorum inflammatione, faciei intumescentia et faucium affectione haud plane cognita, quam alii pharyngis gangraenam, alii bubones hujus regionis fuisse existimant, quibus saepe cruentae vomitiones et diarrhoeae supervenerunt. Mox nigrae maculae totum per corpus, bubones in foveis axillaribus et regione inguinali emerserunt atque mors vel inter soporem irruit, vel inter furorem, inter quem multi manum violentam sibi intulerunt. Interdum accidit, ut homines, qui vivi ne unum quidem pestis sym-

ptoma exhibuerant, mortui subito corruerent, quos genio circumvagante maligno tactos, non morbo oppressos plebs opinabatur.

Prognosis.

Pro variis, quibus morbus excelluit, phaenomenis praedictio quod ad mortis, quae semper fere irruebat, propinquitatem varia fuit. Pustularum nigrarum in toto corpore eruptio aeque ac vomitus cruentus extemplo interfecerunt. Faucium affectio supra memorata intra diem unum occidere consueverat; diarrhoeae cum febri ingente, quanquam aeger bene se habere videbatur, minimum intra tres dies certam intulerunt mortem, perinde ac bubonum et exanthematum eruptio cum gravissimis symptomatibus febrilibus. Laetior praedictio affulsit, si bubones admodum tumuerunt et in suppurationem abierunt. Perniciosissima pestis illa gravidis fuit, quippe quae morbo tactae protinus partum ederent cumque infante perirent.

Morbi sequelae et diuturnitas. Mortuorum copia.

Populus, mortis formidine ac desperatione ipsiusque pestis terroribus agitatus, a Diis auxilium petiit eosque die noctuque ante altaria prostratus, pia vota offerens et sacras ceremonias administrans, expiare studuit. Interierant mercatura et opificia, nulla erat legum divinarum atque humanarum auctoritas; cupiditates dominabantur. Scriptores coaevi, ut Evagrius et Procopius,

plerumque tantum pestem Constantinopolitanam exposuerunt. Illa enim in urbe post breve non omnes mortui sepeliri amplius poterant, quare inhumati novae infectionis fontem constituebant. Quum tales inter calamitates nemo de colendis agris cogitaret, pestem finitam fames excepit, quaecunque morbus reliquerat, devorans.

Inter morbos secundarios nonnisi linguae paralysis commemoratur.

Ita pestis nunc decrescens nunc increscens, evanescens atque recurrens, per dimidium saeculum ab Aegypto inde ad Scandinaviam usque, ab Euphrate ad regiones transrhenanas, modo hic, modo illic domicilium collocans, eadem saevitie casas et palatia adgrediens, dominabatur. Constantinopoli per menses quatuor grassata singulis diebus, dum fastigium tenebat, quinque imo decem hominum millia abstulisse dicitur. Imperium Orientale-Romanum dimidio incolarum numero privabatur, de reliquis terris nihil legimus nuntiatum.

Sequentibus saeculis eadem fuit barbaries; clerici et reliquis litteris et medica arte erant potiti; coenobia facta erant nosocomia, in quibus fides exhibuit panaceam, quae signo crucis, precibus exorcismo, aqua benedicta et sanctorum reliquiis adjuvabatur. Hoc tempore nullus historicorum exstitit, qui sinceram aevi sui descriptionem edere potuerit, quamobrem saecula illa densis tenebris obruuntur. Expeditionum sacrarum tempore demum, quo Christianismus Muhamedanismum debellare coepit, nova in Occidente Aurora litteris affulsit. In

Oriente enim sublimior ingenii cultus, novae civitatum formae, novi mores et consuetudines hominibus innotuerant, quae ad patrium solum translata, mox radices egerunt. Hoc tempore fastigium assecutus est morbus haud epidemicus, qui magnam in totam societatem humanam exseruit efficacitatem et per totam aetatem mediam ab acme non decessit:

LEPRA.

Lepra, jam ab antiquissimis temporibus in Oriente grassata, Caesaris aevo in Gallia et Italia innotuit, unde latius dimanavit, Expeditionum sacrarum tempore acmen obtinuit, variis rebus dilatationem ejus adjuvantibus.

1, Inter expeditionum sacrarum sodales tam frequens exstitit, ut satis mature nosocomia recipiendis leprosis constituerentur, imo singulares societates ad curandos ejusmodi aegrotos conderentur. Multi reduces lepra affecti ad morbum per Europam diffundendum contulerunt.

2, Saeculi genius adeo fuit mysteriosus, ut lepra pro coeli beneficio et pro adminiculo animum sanctiorem reddendi haberetur, nulla igitur medicamenta ei opponerentur.

3, Praeterea vestitus laneus et balneorum tepidorum abusus symbolam suam contulisse videntur, quippe quibus cutis ad morbosam actionem eveheretur.

Quibus momentis insalubribus lepra adeo diffundebatur, ut saeculo decimo tertio, ut sola Gallia duo millia, in universa Europa undeviginti millia Manesio-

rum numerarentur (Parisiis. Hist. anglic. Habent Hospitalarii novendecim milla manesiorum in Christianitate).

Inter aevi medii epidemias historici etiam commemorant.

PESTEM IGNIARIAM.

Feuerpest, ignem sacrum, s. ignem St. Antonii.

Morbus iste a saeculo nono ad decimum tertium repetitis epidemiis varias Europae terras, ut Hispaniam et Angliam, inprimis autem Galliam et Lotharingiam tentavit. Annonae caritas, fames, bella ei praecesserunt. Ignis sacer morbus fuit tabificus, febris expers, qui singula adgrediens membra, ignis instar sub cute latentis carnem ossaque consumere videbatur, dum frigore aegroti percellebantur. Cutis affectarum partium livescens et nigrescens tandem gangraenosa evadebat detestabilique putredine consumebatur. Caro ab ossibus membra a corpore dirimebantur; mors irruebat, quamprimum morbus organa vitalia invaserat. Fuchs institutis disquisitionibus argumentatus est, ignis sacri epidemiam nihil nisi Ergotismum fuisse.

Quemadmodum morbi relati temporis spatiique terminis magis minusve continebantur et per intervalla singulas adgrediebantur terras, ita saeculo decimo quarto funestissima emersit epidemia, quae inducta et adjuta totius naturae tumultu, non singularem populum, sed universum genus humanum exstinctur videbatur. Fuit pestis illa.

MORS NIGRA.

Das grosse Sterben, die Bubonenpest des 14ten Jahrh.

(Joh. Cantacuzen. Hist. — Gabriel de Mussis. — Bocaccio Decamerone. — Joh. Colle, medicina pract. s. method. cognoscendor. et curand. omnium affectuum malignorum et pestilentium. — Guido de Cauliaco, chirurgia. — Chalier de Vinario, de peste. — Hecker, der schwarze Tod im 14. Jahrhundert. — Schnurrer, (Chronik der Seuchen).

Phaenomena antecedentia et comitantia. Dilatatio.

Quindecim jam annos ante pestis in Europa eruptionem in extremo Oriente potentissimi naturae tumultus emerserunt, quibus successit epidemia. Prima ejus vestigia sensit China. Jam. anno 1333 nonnullae hujus imperii provinciae ariditate et fame, tum ingentibus inundationibus tentabantur; corruerant montes, terra hiscebat, imbres sanguini plumisque similes coelitus demittebantur. Insequente anno Kingsai terrae motus exstitit, quo mons Ki-ming-chan subsidebat et lacum horarum centum et quod excurrit ambitum habentem, efficiebat. Simul aliae provinciae ariditate, diluviis, locustarum gregibus, fame epidemiis devastabantur et illi naturae tumultus usque ad annum 1347 in China persti-terunt.

In Europa demum anno 1348 revolutionum tellu-ricarum signa apparuerunt, quo tempore mors nigra eam devastare jam coeperat. Cyprus insula ventis pe-

stiferis et procella tentabatur; scriptores germanici et gallici mentionem faciunt nebularum virulentarum, ab Oriente versus Occidentem pergentium. Graecis per quatuordecim dies terrae motu percellebatur, qui Italiam terrasque vicinas quoque adgrediens in regionibus septentrionalibus extremis sentiebatur. Haud minus epidemiam antecessisse et cum ea apparuisse dicuntur cometae, meteora ignea, ariditas, inundationes, fames, locustarum greges innumeri.

Inter populum miri agitabantur rumores. In extremo Oriente globus ignei vaporis ad terram decidisse tradebatur, qui circuitum horarum centum, et quod excurrit, devastaverit, aëremque longe lateque veneno infecerit et quem lues deinde exceperit.

Viatores ex orientalibus regionibus venientes, „ubi cinciber nascitur", incredibilia narrabant. In campis apertis homines et animalia singulari aëris corruptela subito in saxum mutata esse dicuntur.

Quae quum praecessissent, in regno Chinensi pandemia omnium temporum atrocissima erupit, omnesque terras interpositas depopulans per vias mercatorum migrationibus destinatus usque ad Pontum Euxinum dimanavit, unde Constantinopolin, mercaturae centrum et trium orbis terrarum partium caput, processit. Mox maris mediterranei insulae et Italiae orae afficiebantur, pariter ac Gallia meridionalis. Indefesso cursu lues per reliquam Galliam, Germaniam, Angliam, Daniam, Sueciam, Norwegiam, Poloniam, Rutheniam fere usque ad locum, quo exorsa erat, commigravit.

Morbus ipse.

Morbi symptomata neque in universum neque in specie semper eadem fuerunt, sed conjuncta demum talem morbi effigiem obtulerunt, qualis apud singulos homines occurrebat. Fuit enim, ut Haeser adnotat, Proteus ille terribilis ac multiformis, cujus omnes ac singulae formae summam minitabantur perniciem.

Incepit morbus febri ingente, capitis temulentia, stupore, sopore, amentia. Tum bubones pustulaeque pestilentiales eruperunt, quibus febris putrida foetorque intolerabilis successerunt. Multi pneumonia vehemente cum lethiferis haemorrhagiis petebantur, quo facto protinus gangraena maculis nigris per totum corpus emergentibus se manifestavit. Guido de Canliaco, duas epidemiae periodos distinguens, haec apposuit: „Incepit autem dicta mortalitas nobis in mense Januario et duravit per septem menses. Et habuit duos modos. Primus fuit per duos menses cum febre continua et sputo sanguinis. Et isti moriebantur infra tres dies. Secundus fuit per residuum temporis cum febre etiam continua et apostematibus et anthracibus in exterioribus, potissime in subaxillis et inguinibus. Et moriebantur infra quinque dies (Guido de Cauliaco. Chirurg. tract. II. Cap. 5.).

Morbi sequelae et diuturnitas. Mortuorum numerus.

Morbus et animo et corpori perniciosus fuit. Animis inter alia vitia coecus fanatismus potiebatur celeriterque diffundebatur. Partim castigationibus flagellariis partim Judaeorum persecutionibus se manifestavit, qui-

bus et pestem expiari et devastationum ultionem exerceri putabant. Systemate nervorum per morbum terrificum exaltato, post finitam mortem nigram epidemia caput extulit, quae, effrenatam aemulans laetitiam, maniae et mali spastici naturam exhibuit, Chorea St. Viti (Hecker, die Tanzwuth, eine Volkskrankheit im Mittelalter).

Inauditae in epidemiarum historia clades sunt, quas mors nigra gentibus intulit. In Oriente enim, China excepta, ubi tredecim milliones hominum mortui esse dicuntur, ter et viginti milliones interierunt; in Europa vix quartum incolarum partem restitisse, Guido de Cauliaco refert: „fuit (mortalitas) ita magna quod vix quartam partem hominum dimisit." Proinde, ut Hekker (Der schwarze Tod pag. 40) computavit, in Europa viginti quinque hominum milliones perierunt.

Tales fuerunt effectus epidemiae, quae universum genus humanum adgressa, intra quatuor — quinque annos totum terrarum orbem permigravit et, ubicunque emersit, quinque — sex menses continuit.

Plura per saecula hujus pestis reliquiae gliscebant, imo nondum plane exstinctae sunt, nunquam vero ad eam pandemiam, quae saeculo decimo quarto saeviebat, evehebantur. Hac quidem re maxime perspicuum fit, morbos populares, qua aegrotationes vitae universae, quemadmodum morbos singulorum individuorum, stadia initii, incrementi, siatus et decrementi percurrere, ubi morbus exquisitus, qualem adumbravimus, modo summum aegrotationis fastigium constituat. (Hecker, Aphorismen).

Finis decimi quinti et initium decimi sexti saeculi non modo politicas, sociales et litterarias gentium rationes saluberrime mutavit, sed etiam aegrotantium indolem non mediocriter mutatam ostendit, siquidem processu morboso ad cutem externam tendente novae oriebantur affectiones, persistentes autem alterabantur. Graves hujus mutationis testes sunt:

SCORBUTUS.

Prius hic morbus tantum nautis et littorum accolis innotuerat, sed ab exeunte saeculo decimo quinto ad medium decimum septimum per magnam Europae partem, inprimis Germaniam, epidemice diffundebatur. Gregorius Fabricius, chronista Misnensis, his verbis scorbuti mentionem fecit: „grassatus est hoc anno (1486) novus et inauditus in his terris morbus, quem nautae Saxoniae vocant den Scharbock, qui est inflammatio in membris partium carnosarum, cui quo celerius adhibetur medicina, eo citius malum restinguitur. Sin mora accedit paulo tardior, sequitur membri affecti mortificatio, quam siderationem nostri, Graeci σφακελον dicunt, ultimum gangraenae malum. Nam caro ab ossibus defluit et continua quoque a lue corrumpuntur. Fuit idem morbus contagiosus, multorum mortalium gravi periculo.“ (Annal. urbis Misnicae).

Quanquam scorbutus minus deleterius erat epidemiis antea descriptis, magnam efficacitatem in decursum atque formam multorum morborum synchronicorum, quibus facile associari consueverat, exserebat.

In locum calamitatis priscae, leprae, quae exeunte saeculo decimo quinto ita grassari desierat, ut sporadica tantum occurreret, novus successit morbus:

SYPHILIS.

Morbus aliquanto prius in Italia observatus, inde ab aestate anni 1433 simul fere in Hispania, Gallia, Helvetia, Germania, postea in Anglia et Polonia emergebat et initio leprae species existimabatur. Incepit capitis doloribus, animi depressione, faciei pallore, quibus mox exanthema successit, in ulcera escharotica cum livido fundo celeriter transiens, quae alte descendentia palpebras, oculos, labia consumserunt, praecipue autem mentem, nasum, palatum durum, partes genitales devastarunt. In artubus, sed in aliis quoque partibus tumores ovorum magnitudine, laticem mellagineum continentes, apparuerunt. Artuum dolores trahentes, molestissimi, interdum intolerabiles, noctu augescentes, exstiterunt. Ita morbus circiter per annum perstitit, donec aut in valetudinem, aut, quod multo frequentius accidit, in febrem hecticam et mortem abiit.

Sententiae de syphilidis origine.

Variae de syphilidis origine sententiae ad nostrum usque aevum prolatae sunt. Astrologia, cujus imperium tunc temporis vigebat. medicos impulit, ut causam in inimica siderum constellatione collocarent. Alii de insolitis tempestatis rationibus referunt et his causam imputant. Ab anno 1491—95 vastae exstiterunt inundationes. Aestas anni 1493 et sequentis calidissima fuit,

quam fames secuta est (Schnurrer, Chronik d. Seuchen, II. pag. 28 ff). Nonnulli temere ex America ejus originem deduxerunt, unde per Columbi comites ad Hispaniam delata et per Judaeos ex Hispania pulsos latius propagata esse fertur. Nostratum plurimi persuasum habent, syphilidem localem esse malum vetustissimum, cui exeunte saeculo decimo quinto lepra supervenerit et hoc ex connubio novum emersisse morbum, qui, variis adjutus injuriis, mox epidemicus evaserit.

SUDOR ANGLICUS.

(Hecker, d. engl. Schweiss. Sdrengel, Gesch. d. Med. II.)

Antecedentia et concomitantia phaenomena. Dilatatio diuturnitas, sequelae.

Proelio prope Bosworth anno 1485 comimsso, in exercitu victoris, Henrici septimi, lues illa antea inaudita, sudor anglicus, erupit, mox per totam terram finitimam dimanans et a morbis prioribus atque synchronicis essentialiter discrepans, quare exemplum gravissimum mutationis radicalis epidemici morborum characteris exhibet.

Sub finem aestatis anni modo dicti tota in Europa ingens regnavit humiditas; omnes fere majores fluvii littora sua excesserunt, legimus enim de inundationibus Tiberis, Padi, Danubii aliorumque omnium; maximam inundationem, cujus Angli remioiscuntur, Severn fluvius efficit anno 1483 (Hecker) aut 1485 (Schnurrer). Non minus alias morbi eruptiones humor atque nebulae antecedebant ot comitabantur.

Morbus erat febris acutissima, post breve frigus

uno quasi impetu vires frangens et accedentibus ventriculi dolore, cephalalgia, stupore comatoso, corpus sudore foetido dissolvens. Omnia haec intra paucas horas evenerunt, nec unqnam judicatio ultra nycthaemeron protrahebatur. Intolerabilis fuit aestus internus, sed quaeque refrigeratio mortem intulit (Hecker, Engl. Schweiss. pag. 1). Scriptores coaevi vix centesimam aegrotantium partem incolumem evasisse tradunt, validiores reliquis frequentius tentabantur. Epidemia anno 1485 exorta (prima) in Anglia substitit, neque Scotiam neque Hiberniam adgrediens. Eadem ratio fuit epidemiae a. 1507, Londini primum emergentis. Atrocior hujus morbi epidemia a. 1507 exstitit, Julio mense erumpens et tam rapidum decursum emetiens, ut, nullis nuntiata pradromis, inter primum horrorem febrilem, intra horas duas vel tres, aegrotos auferret. In universum per semestre saeviit, intra quod tempus aliis in locis tertiam, in aliis dimidiam incolarum partem occidit. Atrocior his omnibus epidemia a. 1528 fuit, quippe quae Angliae fines excedens, Hollandiam, Daniam, Sueciam, Norwegiam, Germaniam, Poloniam, Lithuaniam, Rutheniam permigrans, exeunte a. 1529 finiretur. Sequelae ejus tanto inimiciores fuerunt, quod fames supervenit. Homiuum numerus tantus interiit, ut nonnulli scriptores hunc morbum „magnae mortalitatis“ nomine impertiveriut. Deinde ac mors nigra hic morbus desperatione animos perculit, mercaturam et omne commercium prostravit, leges humanas atque divinas subvertit, cupiditatibus frena remisit. Henricus VIII, de-

spota pusillus, de vita sua sollicitabatur, Londino relicto circumvagabatur, ut perniciem effugeret. Migrationes pertaesus locum elegit solitarium, ubi ignibus cinctus aërem repurgantibus futura exspectavit.

Semel praeterea sudor anglicus apparuit, anno nempe 1581, ex illo autem tempore ex epidemiarum numero decessit.

Morbus ipse.

Prodromi raro morbum antecesserunt atque incerti fuerunt. Eruptioni brevis praecessit horror cum febri, vehementibus tremoribus, artuum convulsionibus, subsequente aestus stadio, in quo crebrae formicationes manuum atque pedum, nec non dolores sub unguibus exstiterunt. Tum cerebralia symptomata antecesserunt: furor, capitis dolor obtusus, sopor, plerumque mortem per apoplexiam inferens. Admodum singulares erant perpetua aegrotantium anxietas, cordis palpitationes, dyspnoea, regionis epigastricae dolores. Princeps omnium symptomatum sudor fuit profusus, foetidus, modo crisin efficiens, si aegroti vires morbo restiterunt, modo exitium afferens, si succubuerunt. Hic morbus ab omnibus prioribus et synchronicis epidemiis essentialiter differebat; quemadmodum omnes supra descriptae epidemiae ab oriente versus Occidentem dimanabant, ita haec contrariam directionem sequebatur; sicut illae summum vigorem adeptae raro ante horam duodecimam occidebant, ita haec intra duas vel tres horas vitam exstinxit; sicut illae denique nemini parcebant, ita solos fere vi-

ros mediae aetatis, dimissis infantibus, mulieribus et senibus, adgrediebatur.

Quae dum in Anglia agebantur, reliqua in Europa aliae epidemiae apparuerunt, quae per intervalla terras permigrabant et vicissim per totum saeculum grassabantur. Ita a. 1510, 1557, 1580, 1598 Influenza epidemica, pneumoniae epidemicae et febres typhosae desaeviebant, quibus etiam febris nervosa putrida, seu morbus Hungaricus, anno 1566 in castris Maximiliani, contra Turcas belligerantis, in urbe Komorn grassans, adnumerari debet. Prae omnibus autem medicorum attentionem allexit

TYPHUS PETECHIALIS.

Transitum a morbis relatis ad pestem orientalem typhus petechialis sistit, qui, sudori anglico similis, hoc saeculo per singulas epidemias primum Italiam et sub finem ejus demum Galliam adgrediebatur. Prima morbi symptomata leviora erant: febris exigua, languor, capitis gravitas antecesserunt; sub quartum ad septimum diem plerumque cerebralia symptomata apparuerunt, aegri tentabantur deliriis, quo facto in brachiis, pectore, dorso maculae rubrae emerserunt, nullum symptomatum levamen afferentes; vel somnolentia vel agrypnia accessit. Mali ominis erant magna adynamia a morbi exordio, diarrhoea, ischuria, petechiarum eruptio retardata aut defectio, profusa epistaxis. Prognosis difficillime constitui poterat, quia signa critica aut non critica, quae videbantur, saepe medicos peritissimos fefellerunt. Infectio tantum contactu immediato efficiebatur. Mulieres parciores ei succubuerunt, rarius etiam senes, frequentius pueri et juvenes.

Medici illius aetatis quatuor praecipue commemorant epidemias; annis 1505, 1528 et 1587 typhus petechialis in Italia superiore, a. 1557 in Gallia desaeviebat.

PESTIS BUBONARIA SAECULI XVI.

Per totum hoc saeculum fere continuo Europam tentavit ejusque omnes regiones epidemice permigravit. Singulatim scriptores afferunt pestem in Italia superiore

a. 1528, in Gallia australi a. 1534. Ab anno 1562 ad 1566 in universa Europa grassabatur, maximas inferens depopulationes. Gedani a. 1564 plus quam ter millia hominum, Londini viginti millia, Barcinonae decem millia, Lugduni quinquaginti millia interierunt. Anno 1572 morbus in Belgia, ab a. 1574—77 in tota Europa saeviit.

Jam ad saeculum transeamus, quo genus humanum exstingui videbatur. Quae scriptor ingeniosus de anno 1528 retulit, ad totum hóc saeculum referri possunt. „In tausendfachen Gestalten brach das Verderben über Europa herein, zerrüttete die Körper, verfinsterte die Gemüther — und hierzu der Unfriede der Welt, der Hass der Parteien. Es war, als sollten alle Angelegenheiten der Menschheit in diesen riesenhaften Kampf hineingezogen und in zerstörender Entscheidung alle Spuren vergangener Zeit vernichtet werden.“ (Hecker, der engl. Schweiss, pag. 16.)

Sequente etiam saeculo ad calamitates, quas Protestantismi cum Catholicismo pugna per triginta annos peperat, epidemiae, imprimis typhus, exercitus belligerantes adgrediens, scorbutus et pestis orientalis accesserunt.

Inter typhosas febres typhus petechialis primum a. 1621 apud Hispanos in Palatio erupit brevique per Bataviam dimanavit, ubi indolem permalignam adeptus per annum viguit. Norimbergae, quae a. 1632 oppugnabatur, scorbutus typho supervenit et quotidie plura hominum millia letho dedit. Istae tamen epidemiae plane cedunt pesti bubonariae, per totum saeceulum XVII quoque in Europa grassatae. Anno 1625 Bredam urbem ab Hispanis oppugnatam devastavit, cujus intra moenia fames, scorbutus et pestis septem hominum millia et quod excurrit, interfecerunt. Ab anno 1628—30 in Gallia pestis saeviit, unde per Italiam dimanavit posteaque Germaniam borealem, Hollandiam et Angliam permigravit. Annis 1675—84 Hispaniam, Hungariam, Austriam, Germaniam depopulata est.

Omissis levioribus saeculi XVIII epidemiis, notatu parum dignis, ad pestem orientalem animum advertimus, quae ultima vice hac in periodo majorem Europae partem devastavit.

PESTIS BUBONARIA SAECULI XVIII.

Anno 1704 haec pestis Constantinopoli eruperat et septentrionem versus procedens paulatim ad Poloniae et Hungariae fines prope accesserat, unde latius progressa anno 1708 in Borussia caput extulit et usque ad annum 1714 Germaniam borealem, Daniam, Sueciam, Rutheniam tentavit. Non solum autem septentrionali, sed etiam occidentali pestis sese effudit in Moldaviam, Wallachiam, Stiriam, Bohemiam et a. 1713 Ratisbonae saeviit, quo per navem Judaeis Windobonensibus onustam devecta erat. In Germania haec pestis ex illo tempore non emersit, majore autem atrocitate in aliis terris. Anno 1720 pestis Mastiliae, per navem Sidone venientem advecta, erupit, per biennium gravissime saeviit, indeque per Galliam australem celeriter processit. Annis 1737 ad 1739 in Ucrania, a. 1755—57 in Septimontino principatu grassata est. Teterrima omnium epidemia fuit annorum 1769 et 1770, quae bello inter Ruthenos et Turcas flagrante, Moldaviam et Wallachiam adgressa, per novem menses Moscaviam dirissime vastavit.

Morbi decursus non alius fuit, ac priorum epidemiarum, attamen diaphoretica medicamenta initio indicata non erant, quoniam sudoribus bubonum evolutio inhibebatur morbique malignitas augebatur. Praegnantes peste affectae, vel primis graviditatis mensibus, abortum fecerunt.

Hoc demum saeculo intelligere coeperunt, pestis propagationem strenuissima tantum aegrotorum segregatione posse caveri, quamobrem post epidemiam Massiliensem Instituta prohibitiva condita sunt.

Quanta fuerit hominum jactura, d scriptis judicari licet, quae de terris atque urbibus nonnullis confecta et asservata sunt. In Borussia et Lithuania ab a. 1709—10 circiter hominum 33000, Holmiae 40000, Ratisbonae circiter 6000, totidem Massiliae, in urbe Aix 18000, in urbe Toulon 16000, Moscaviae 55000 perierunt.

Postquam pestis dicto saeculo ad patriam suam, Orientem, sese receperat, paulatim ex occidentalibus Europae regionibus ad orientales pergens, huic terrarum parti peperit, Graecia, Turcia et Neapoli exceptis, ubi per intervalla adhuc emergere solet.

Ineunte saeculo undevicesimo Europa gravissimas egit pugnas, gentium orientalium et occidentalium exercitus bella sibi intulerunt; proelia cruenta comittebantur, victoriae splendidissimae reportabantur, strages deleteriae sustinebantur, quibus continuus belli comes supervenit, typhus petechialis seu bellicus, majores inferens clades, quam proelia dirissima.

Typhus petechialis primum a. 1805, proelio apud Austerlitz commisso, praecipue inter Ruthenos captivos, apparuit, quibus per Germaniam australem, Bavariam, Würtembergam, Badeniam, inprimis autem per Moraviam terrasque vicinas diffundebatur. Gravius annis 1806 et 1807 hic morbus Borussorum et Gallorum exercitus in Borussia, nec non annis 1808 et 1809 Suecos, Hispanos et Anglos in Hispania affecit, unde Galliam et Angliam adgressus, annis sequentibus ad Germaniam rediit. Summum fastigium autem typhus petechialis obtinuit annis 1813—14 in nivosis Rutheniae campis, calamitatibus ineffabilibus, quibus Gallorum exercitus e Ruthenia redux submittebatur, superveniens. Vilnae e triginta militum millibus quinque et viginti millia, incolarum urbis octo millia perierunt; Torgaviae intra paucos menses triginta millia militum, maximam partem Galli, morbo succubuerunt.

Pace vix restituta et melioris aevi spe animis reddita, clausis vix eorum sepulcris, quos bellum et epidemiae abstulerant, novus et Europaeis incoguitus morbus ex nudis sacri amnis, Gangis, caput extulit.

CHOLERA ASIATICA.

(Ab a 1817 ad 1823, ab 1829 ad 1837.)

Phaenomena antecedentia et comitantia. Dilatatio.

Quemadmodum aliis gravioribus epidemiis, ita cho-

erae revolutiones telluricae et cosmicae praecesserunt eamve comitatae sunt.

In India jam a. 1815 anni temporum regularitas turbari coepit: tempore alias sicco (mensibus Februario, Martio, Aprili, Majo) imbres continui regnarunt, contra autem tempestas, quae pluvialis esse solet, arida fuit (mens. Jun. ad Octobr. usque). Idem accidit, quum a. 1816 aestus insolitus exstitisset; a. 1817 nimbi continui per mens. Februarium et Martium Gangis inundationem, ingentem effecerunt. Eodem tempore imbres, inundationes, terrae motus Europam exercuerunt. Provincia indica Kotsch a. 1819 terrae motibus vastabatur, urbs capitalis in ruinas vertebatur, quibus bis millia hominum obruebantur. In Italia et Graecia eodem tempore similia evenerunt; generatim per totam morbi periodum tempestatis alienationes continuae, terrae motus et vulcanicae eruptiones per Asiam et Europam, crebra tonitrua, insectorum greges, observabantur. Inter haec phaenomena mense Majo a. 1817 Noddiae, indica urbe ad Gangem sita, ubi duo ejus alvei confluunt, cholera erupit, brevi per totam Deltam dimanavit et Septembri mense Calicuttae apparuit. Eodem anno exercitum indicum tentavit. Inde a Gangis plaga deltoidea a. 1818 quaquaversus processit, ad totam Asiam australem, Persiam et maris caspici littora, ubi prima ejus periodus a. 1823 finiebatur, quanquam nondum penitus in Asia restinguebatur. In secunda periodo pandemicae migrationis, ab a. 1829 ad a. 1837 in finibus Rutheniae asiaticae emersit et ocidentem versus plerasque Europae terras adiit, imo ad inferiorem Americam borealem penetravit. Inde a loco orientali extremo in Asia, ad extremum occidentalem in America miliaria fere 3500 emensa est.

Morbus ipse. Mortuorum numerus.

Teste Romberg, qui choleram Berolini observavit, vertigo, musculorum infirmitas, praecordiorum oppressio, anxietas, pectoris angustia praecesserunt, quibus cita ingestorum evacuatio per alvum et cutis frigus supervenerunt. Ineunte morbo ipso vultus mutabatur (facies cholerica), pulsus infringebatur, corporis calor decre-

scebat et inaequabilis reddebatur, color plumbeo-livescens, nigricans. Cutis turgor et elasticitas cesserunt, vox sonora defecit. Vomitiones per singulos impetus, absque nausea praegressa, intraverunt, alvi excreta copiosa, oryzae similia, fuerunt, urinae secretio plerumque inhibita, sitis inexplebilis, pedes, surae, manus dolorificis musculorum contractionibus tentabantur. Plurimis in casibus mors irruit.

Etiamsi devastationes, quas cholera per quatuordecim annos induxit, iis aequiparari nequeunt, quae peste atrocissima efficiebantur, tamen terror et perturbatio satis graves, mortuorum numerus magnus exstiterunt. Descriptiones antea editae ut plurimum verum excedebant morboque ipso deteriores erant, quibus homines ad desperationem adigebantur; praeterea prohibitivis auxiliis, quae necessaria videbantur, commercium quodque et opificium interpellabatur. Numerus cholera affectorum in variis terris admodum varius fuit, nusquam autem quartam incolarum partem excessit; altera parte fere ubique dimidium aegrotantium interiit. Numerus omnium cholera exstinctorum viginti circiter milliones aequare dicitur

VITA.

Julius Tzscheutschler, fidei addictus evangelicae, natus sum Langenaviae, qui pagus haud procul abest ab urbe Gorlicio die XXV mens. Augusti anni huj. saeculi XXVI, patre Joanne, Traugott, matre Rosina Guilelma e gente Hirche. Primis literaram initiis in patrio pago imbutus per biennium scholam civicam sublimiorem Gorliciensem, Gymnasium Gorliciense sub auspiciis Rector. Anton per septem annos frequentavi. Anno deinde MDCCCXCVIII tempore verno maturitatis testimonio instructns civibus instituti medico-chirurgici Friderico- Guilelmiani adscriptus sum et per quadriennium hisce virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum interfui scholis.

Cel. Böhm de arte ophthalmiatrica, de akiurgia: Ill. Casper de arte formulas rite concinnandi, de medicina forensi; Ill. Dove de physice; Exp. Elsholz de tironum invalidorumque militum Examine, de morbis simulatis et dissimulatis; Beat. Hecker de encyclopaedia medica, de patho-

logia generali, de Celsi libris; Ill. Juengken de chirurgia, de laesionibus; Ill. Langenbeck de organorum uropoëticorum morbis; Exp. Lauer de semiotice, de therapia generalia; Beat. Link de botanice, de historia naturali, de plantis cryptogamis; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Müller de anatomia universa, comparata, pathologica, de physiologia speciali et generationis; Ill, Mitscherlich sen. de chemia organica et anorganica, de pharmacia; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica, de medicamentis excitantibus; Cel. Preuss de historia; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, de anatomia organorum sensuum; Beat. Schmidt de arte obstetricia, de humanitatis institutis; Cel. Schulz-Schulzenstein de pathologia et therapia speciali; Exp. Simon de morbis syphiliticis; Cel, Troschel de arte fascias rite imponendi, de fracturis et luxationibus; Ill. Weiss de mineralogia; Cel. Werder de logice et psychologia.

Ad practicas exercitationes me instituerunt:

Cel. Boehm ad operationes chirurgicas in corporibus mortuis et ad operationes ophthalmiatricas; Ill. Casper ad exercitationes medico-forenses et explorationes in vivis mortuisque instituendas; Ill, Mueller et Schlemm ad artem cadavera rite secandi; Beat. Schmidt ad exercitationes obstetricias; —

Nec non interfui clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, syphiliticis virorum Ill., Cel. et Exp. Juengken, Langenbeck, La Pierre, Romberg, Schoenlein, Simon, Wolff.

Qnibus omnibus viris optime de me meritis quam possum maximas semper agam gratias.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum ordine rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Omnes epidemiae saevitia et dilatatione insignes exordia ducunt ex Oriente.
2. Syphilis anni 1483 morbus novus non erat.
3. Cura psychica, ubicunque indicata, medico soli permittenda est.
4. Maximam vim exserit genius epidemicus in morborum curationem.